

XIV. vixit. Opus nostrum ante annum 1306. compilavit, ut e dicendis facile erues. An vero id inchoaverit *Job. Gualensis* O. M. et *Thomas* noster perfecit, ut vult e *Codice Coll. Lincoln. Oxon. Tannerus Bibl. Brit. Hib. p. 570.* non ita evictum est. Hallucinatus est idem, dum adserit, *Thomae Manipulum* Libris II. constare, quorum Prioris Praefatio incipiat: *Abiit in agrum et collegit spicas &c.* alterius vero: *Bonum est in cibo cum gratiarum &c.* Sola enim Praefatio est: *Abiit in agrum &c.* Alterum: *Bonum est &c.* initium ipsius Operis, sive Tituli I. de *Abstinentia*. De ipsa porro Praefatione mirum, haberi eam in vetustissimis Editionibus, in recentioribus deesse, ut in *Veneta 1550.* 8. min. et ipsa *Vindobonensi 1736.* 8. Enumerat in ea *Thomas* Auctores sacros et profanos, quos excerptis saepius, atque hos inter in Edit. *Placentina* suprac. *Caesarium* desiderari, *Anselmum* in *Aurelium* corruptum esse video. Ait praeterea in illa Auctor: *Istorum autem auctorum libros quantum ad principia et fines et nomina et partialium librorum numerum in fine huius operis signavi, ut facilius possint cognosci et securius allegari.* Et en tibi *Tannerum* iterum, qui *l. cit.* ex isthoc Indice distinctum *Libellum de scriptoribus ecclesiasticis eorumque scriptis* creat. Ad calcem *Manipuli* Codex noster: *Hoc opus est compilatum a Magistro thoma de ybernia quondam socio de serbona. Explicit manipulus florum. deo gratias. Tum Denis Codd. Theol. V. II. P. I.*

Elenchus alphabeticus Titulorum ab *Abstinentia* usque ad *Xpus*, sub quo: *Finit anno domini. M^o. CCC^o. VI^o. die veneris post passionem apostolorum petri et pauli*, quam notam Librarii habeo. Demum Index ille, de quo supra, hoc initio: *Notandum est, quod libros originalium sanctorum ac doctorum quantum ad principia et fines ac partialium librorum numerum hic signare curavi.* Omiserunt illum Typographi injuria; curiosus enim est ad cognoscendum, quae Scripta illo aevo integra, quae pro genuinis habita fuerint. Ex eo noto: *Dionysio* dicto *Areopagitae* quatuor adsignari Commentatores, *Johannem* (*Erigenam*) *Scotum*, *Johannem* (*Gallum*) *sarracenum*, *Maximum* (*CPolit. Monachum*) et *Hugonem* (*Victorinum*). Item citari *R. Mosis* *Ducem dubiorum uel neuerorum*, quod manifeste ignorantia linguae corruptum est e מורה נבוכים, atque hinc extitisse antiquam ejus Versionem latinam, quam post *Job. Seldenum* arguit doctiss. *Wolfius Bibl. Hebr. T. I. p. 857. in not.*

CCCCXLIV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 1
XI. Folior. nunc 134. antiquo vero ad marginem externum notato numero 152. unde 18. Folia e medio deperiisse constat, fol. max. per duas columnas splendide exaratus, literis initiorum picturatis, miniatisque titulis, in ima fol. 2. ora ita inscribitur manu Sec. XVI. *Liber iste congregationis. S. Justine*
Xxx ne

ne de pādua (Ord. S. Benedicti) deputatus monasterio. S. Seuerini de neapoli: signatus numero 92. Atque ex hoc Monasterio dono oblatus est Carolo VI. Rom. Imp. Continet vero is Partem I. *Lectionarii* seu *Homiliarii* a Dom. I. Adventus usque ad Lectionem IV. Sabbati sancti, in qua deficit. Per adventum e Libris sacris legitur *Isaias*, Dominica I. post Epiphaniam *Paulus* incipit, Dominica in Septuagesima *Genesis*, Feria V. Hebdomadae majoris ponuntur *Lamentationes Jeremiae*. Evangelia plerumque cum iis coincidunt, quae hodie in Officiis ecclesiasticis leguntur. Homiliae iis subnexae e variis PP. depromptae sunt, eaeque admodum prolixae. Errasse in eo videtur Librarius, quod a fol. 1. usque ad 16. Homilias praemisit, quae post fol. 16. mox dictum suis locis inferi debuissent. Ita cum fol. 16. legatur Titulus: *Dominica. I. de aduentu domini*, et sequatur *Lectio Isaias: Uiso quam vidit ysaias filius amos* &c. quae ad eam Dominicam pertinet, fol. 1. reliquae Lectiones ad hanc pertinentes Dominicam praeoccupantur hoc rubro: *Dominica Prima De Aduentu domini. Sermo Sancti Augustini. Lectio prima hoc est uiso isaias (sic) quam uidit. Require in antea. Dicere debebat: Require posterius.* Atque confusionem ejusmodi in Codice ceteroquin eleganter exarato mirari subit. Lectiones porro homileticas in Evangelia quod adtinet, monent illae *Homiliarii* ab *Alcuino* et *Paulo Diac.* congesti, non

quod eadem sint, sed quod eodem modo e diversis, puta: *Augustino*, *Haymone*, quem Noster *Agimonem*, vel *Agymonem* nuncupat, unde *Codicem* in *Italia* scriptum habeo, *Caesario*, *Gregorio M. Beda*, *Leone M. Fulgentio*, *Ambrosio*, *Job. Chrysofostomo*, *Origene*, *Maximo* et *Hieronymo* collectae. Quaedam ἀνεπιγραφοί sunt, quas non difficulter suis reddas autoribus, aliae ψευδ επιγραφοί, qualis vel prima *Augustino*, ut dixi, tributa, quae incipit: *Propitia Divinitate Fratres dilectissimi iam adueniunt dies. in quo (sic) natalem domini saluatoris cum gaudio desideramus caelebrare. Et ideo rogo* &c. atque mutato tantisper ingressu rejecta legitur in *Adpend. T. V.* edit. *Maur.* ubi *Sermo CXV.* et *Classis 2.* seu *de Tempore I.* inscribitur, olim etiam inter *Ambrosianos* habitus. Lectiones tamen quasdam genuinas ex iis restitui posse, non dubitem. Festa SS. in hac *Parte I.* nulla praeter *Purificationem fol. 57. p. 2.* et *Annunciationem Sancte Marię fol. 63.* Unde nullae *Historiae* seu *Acta* praeter quam in *Natali Sancti Johannis Euangeliste fol. 34.* Horum initium est: *Secundam post neronem persecutionem christianorum domitianus exercuit* &c. Edidit spuria haec *Commenta* sub nomine *Melliti Episcopi Laudociae* in praevio suo ad *Martyrologium D. Hieronymo tributum Indiculo de festis Apostolorum Diebus*, *Lucae 1668. p. 130. f. Franc. M. Florentinius*, imperfecta tamen, defuit enim in ejus *pervetusto*, ut vocat,

1061

P A T R I S T I C I

1062

cat, *Hagiologio* totus *Johannis* five sub Proconsule *Ephesi*, five sub *Domitiano Romae* *Αγων*, quem non solum *Codex* noster, sed etiam *Bonin. Mombritius* in impressis sub *Typographiae* initia *Mediolani* SS. Vitis exhibet.

CCCCXLV.

R. 4. Codex membranaceus lat. Sec. XI. Folior. 115. ejusdem cum praecedente, cujus Pars II. est, rationis *Lectionarium* a *Dominica Paschatis* ad *Dominicam XXIV.* post *Pentec.* complet. Hic quoque ad *imam oram fol. 1.* legitur: *Liber iste est Congregationis Casinensis alias Sancte Justine de padua deputatus in Monasterio Sancti Severini et Soc. de neapoli. Sign. num. 92.* Titulus miniatus est: *In Die Sanctum pasche. Lectio Sancti Evangelii Secundum Marcum. In illo tempore Maria magdalene et maria iacobi &c. Homelia Beati Gregorii pape. Multis Vobis Lectionibus Fratres karissimi per datum loqui consueui &c.* Habetur *Homiliarum* L. II. *Hom. 21.* edit. *Maur. T. I. Paris. 1705. col. 1526. f.* Atque Parte hac *Homiliae* ferme omnes e *Gregorio* et *Beda* depromuntur. *Libri Scripturae*, e quibus legitur, sunt: *Apocalypsis, Actus Apost. Libri Regum, Proverbia, Job, Tobias.* A *fol. 92.* character succedit *crasior, major.* Post *Dominicam XXIV.* adscripta est *Dominica de Sancta Trinitate*, cujus *Lectiones* maximam partem petitae sunt ex *Alcuini Opusculo de Fide S. Trini-*

tatis, eique adnexa *Confessione*, prout haec habentur edit. *Ratisb. T. I. P. III. p. 703. f. Fol. 112. p. 2.* sequuntur *Acta Martyrii S. Agathae* sub hac rubrica: *Non. Febr. Natale Sancte Agathe Martiris. Eorum initium: Beatissime Agathe Martiris quae passa est in prouincia sicilie in urbe cathaniensium sub decio imperatore. ipso decio proconsule die nonarum februararum recitamus ystoriam. Quintianus consularis sicilie audiens &c.* Extant apud *Mombritium* *supra-* *cit.* et inde apud *Bollandianos T. I. Febr. p. 615.* τὸ decio proconsule *σφαλμα* est pro *ter* vel *tertium Consule.* Demum *fol. 114. p. 2. ἀνεπιγραφως* occurrit *Narratio* de *Cruce* a *Constantino M.* in coelo visa, et nato inde ejus studio *Crucem* *Servatoris* reperendi, in quem finem *Helenam* matrem *Hierosolymam* misisse dicitur *Cruce* tandem post varias cum *Judaeis* disceptationes potitam. *Figmentum* est *Graeculi* cujusdam *barbara* hic versione donatum, quae infit: *Anno ducentesimo tertio decimo regnante uenerabili dei cultore constantino in sexto anno regni eius gens multa barbarorum congregata est super danubium &c.* Legitur graece inter *Narrationes dubiae fidei* apud *Jac. Gretserum de Cruce Christi T. II. Ingolst. 1600. p. 540. 4.* hoc titulo et initio: *Ὅπτασια Κωνσταντινῆς τῆς μεγάλης βασιλεως περὶ τῆς Εὐσεβείως τῆς τιμῆς Σταυροῦ. Ἐν ἑτεί ἑβδομῶ τῆς βασιλείας Κωνσταντινῆς τῆς μεγάλης βασιλεως, μὴν Ἰαννουαρίῳ συνήχθησαν πληθος βαρβαρων ἐπὶ τὸν ποταμόν*